



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illvstrandam,
Nvnqvam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola LVI. Dilectissimæ in Christo sorori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Dilectissimæ in Christo sorori.

Prospera, donante DEO, his sanctissimis diebus habuimus solennia: & lætus fuit Dominus rex, & omne palatium in gaudio. Et ego frater vester magnum habui gaudium de prosperitate, & salutatione vestra, de gratissimo munere psalmodiæ, & missarum celebrationis, quod mihi magna charitate direxistis. Sed & eppam quam mihi aptissimam misistis, valde animo meo placet. Veniente verò ANGILBERTO, fortè aliquid certius vobis demandare habemus. Vos animum vestrum firmate in seruitio DEI, & in salute animæ vestræ viriliter domum ædificate vobis sempiternam in cœlis, vt paratam habeatis beatitudinem cum Christo, & Sanctis eius: quod plurimi verbis optant, sed rebus nõ perficiunt. Tu verò labora diebus, horis, momentis, vt abundanter habeas, quod feliciter diligas.

Credo te de orationibus EVÆ, sororis nostræ fideliter facere, sed ex mea petitione aliquid superadde. quia mihi fidelis fuit. Et vbi plus fides innotescit, quàm post mortem amicorum? Dic COLYMBÆ, vt memoriæ confirmet, quod accepit, donec veniat, qui superadiiciat. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matth. 5.* Desiderium vestrum impleat, & cor charitate illuminet, qui venit mundum illuminare, & ignorantia tenebras de cordibus in eum expellere credentium. Vita, & salus Christo donante vos comitetur

in xuum.



O

EPI-

CCCLXV
SII
omg. m.
SIV
24